UNIVERSITY OF ILLINOIS

PROGRAMM

DES

LUDWIG-GEORG'S GYMNASIUMS

ZU

DARMSTADT.

—— OSTERN 1882. ——

INHALT:

1) ADVERSARIA PLAUTINA ed. A. WEIDNER. 2) SCHULNACHRICHTEN.

DARMSTADT.
C. F. WINTER'SCHE BUCHDRUCKEREI.
1882.

1882. PROGR. NR. 560.



Adversaria Plautina.

Plautina studia viginti per annos intermissa revocanda mihi fuerunt propterea quod scholasticam disciplinam carere non posse Plauti lectione post multos errores tandem mihi persuaseram.

Nam biennium in unum Horatium iam nec possumus nec debemus conferre, quia exiguus numerus illius carminum animos discipulorum oblectat, saturarum maior pars offensionem quandam aut fastidium habet.

Nec nativi sermonis vigore Plauti fabulae non adliciunt iuventutem artificiosa et contenta Ciceronis oratione lassam ac defetigatam. Ac tam facile tamque lubenter illas comœdias lectitant summi ordinis discipuli, ut ternis mensibus ternas fabulas pertractare ac Molierum Shakspeareumque simul conparare liceat.

Bonis autem moribus ac mollibus animis XVIII annorum iuvenum Plautinum studium — Terentii enim lectionem non defendam — quidquam nocere, equidem nec usu conprobatum nec ratione esse demonstratum video.

Trinummum quidem et Aulullariam, quae quidem omnium fabularum bellissima est, et Captivos multo magis etiam innoxias esse arbitror quam multas aut Horatii aut Sophoclis partes, quas nemo a iuventute prohiberi posse putabit, nisi qui artium incrementa et progressus eam neglexisse voluerit.

Hilaritates si quis hilari lusu ridere animum induxerit, ei ne Menæchmos quidem aut Gloriosum Militem incommodas aut indignas quae in scholis enarrentur visuras esse credo.

Scholastica igitur ratione adductus cum Plautum relegere Plautinasque litteras recognoscere cœpissem, haud paucae mihi subnascebantur sive coniecturae sive emendationes, quarum partem Plautinae artis arbitris proponendam duxi, quamquam parum adhuc studii in Plautum me contulisse haud ignorabam.

Nam quae commentatus eram si premerem potius in nonum annum quam in lucem inmatura emitterem, hac mea negotiorum varietate et studiorum dissimilitudine fore videbam, ut obruta in scriniis laterent ac delitescerent oblivione.

Nec hoc damnum nec mihimet ipsi nec litterarum communitati accidisset. Immo qui nihil umquam audent multo plus sibi sapere videntur. Sed quoniam more maiorum et publicis institutis ita conparatum est, ut subitae programmatis præmittantur commentatiunculae, etiamsi ego mihi sapientior et prudentior essem, charta tamen periret. Quam ob rem si quid ipse didicero vel mea opera vel aliorum asperitate et iracundia, si tribus quattuorve locis Plautum meum aut ipse sanasse aut alios ad feliciorem emendationem pellexisse videbor, nec operam nec oleum perdidisse me credam.

Aulularia 55.

Euclio: *Abscede etiam nunc, etiam nunc.* **Staph.:** *etiamne?* **Euclio:** *Ohe, Istic adstato.*

Ita hunc versum nuper Bothii auctoritatem secutus disposuit G. Gœtzius. Nam in libris ipsis unius Euclionis versus inest decurtatus hic:

Abscede etiam nunc, etiam. Ohe.

Defectui versus alii aliter mederi studuerunt. Mihi illud quidem parum commodum esse et a veritate abhorrere videtur mulieri timidae ac pavidae interrogatiunculam contribui, qua domini atrocitatem lacesseret. Immo Staphyla domini iussis obsecuta recedit, sed cum non tantum recedat, quantum ille pro anxietate sua cupit, hic tardam mulierem ultro increpat, ut ulterius etiam recedat. Atque hanc in sententiam nihil credo magis convenit quam hæc domini interpellatio:

Abscéde etiam nunc, étiam nunc abscéde! Ohe!

Nam in brevium membrorum repetitione vel iteratione, quoad latinus sermo viguit, chiasmi figura frequentissima erat. Cf. Most. 603: *Cedo fœnus, redde fœnus, fœnus reddite.*

Aulularia 242.

Euclio: *Sed pro Juppiter, num ego disperii?* **Megad.:** *Quid tibist?*
Euclio: *Quod crepuit quasi ferrum modo.*

Codex B[1] servavit *quod*, B[2] ceterique libri correxerunt *quid:* vitium igitur iam ab antiquitate traditum subesse videtur.

Atque illud *quod* retinuit Ussingius, cum in commentariis hæc addidit: *Euclio respondet perturbationis causam esse, quod sibi ferri crepitum audire visus sit.* Sed formidine ac pavore oppressus Euclio non ratiocinatur, ne respondet quidem Megadoro, sed cum secum loquens exclamat ferri crepitum sibi auditum esse, anxietate ac terrore percitus abripitur ad aulam suam visendam.

Multo rectius ceteri ediderunt: *quid crepuit quasi ferrum modo?* Qua in scriptura ego acquiescerem, nisi eundem Euclionem confusum ac pæne exanimatum paulo ante exclamare viderem: *num ego disperii?* Interitum sibi instare qui pronuntiaverit, quia aulam sibi ablatam esse credat, idem interrogare non potest frigido pectore, quid tandem ille quem audierit ferri sonitus sibi velit, sed ut de causa timoris interrogatus est ita tantum modo respondere potest, ferri crepitum se sibi audisse. Itaque deteriorum librorum remedium falsum et ad vetustiorem scripturam *quod* revertendum esse existimo, si quid veri in ea abditum lateat. Et quoniam *quod quom con* sæpenumero inter se permutata esse constat, emendandum esse arbitror: *concrepuit quasi ferrum modo.* Ad extremum memorasse haud absonum est, verba *quasi ferrum* (etwas wie Eiſen) vix cum interrogativis consociari posse.

Aulularia 312—313.

Quin[quom] ipsi pridem tonsor unguis dempserat,
Collegit, omnia abstulit præsegmina.

Duplex in his versibus inest difficultas. Nam primum, id quod uncis adiectis significavi, omnibus in libris *quom* abest et ab O. Seyfferto (Phil. XXV 442) additum recepit G. Gœtzius. Præterea sententiae multum inter se discedunt, quo modo alterius versus duo illa membra inter-

pungenda videantur. Alii enim hunc versum ut supra distinxi sic ediderunt, Ussingius autem hunc in modum discripsit: *collegit omnia, abstulit, præsegmina*, alii denique ita interpungunt: *collegit omnia; abstulit præsegmina.* Atque ut hoc primum mihi disserendum ponam, Latini *omnia* haud raro ita utuntur, ut hoc vocabulo reliquas res vel maximas vel vilissimas comprehensas ac denotatas velint, velut Menæch. 1158: *venibunt servi supellex, fundi et ædes, omnia venibunt, quiqui licebunt, præsenti pecunia.* Multo magis etiam quod sentio apparet ex Juv. III 38: *quondam hi cornicines . . . munera nunc edunt . . ., inde reversi conducunt foricas, et cur non omnia? cum sint, quales ex humili magna ad fastigia rerum extollit, quotiens voluit Fortuna iocari.* Sen. Dial. III 3, 4: *sed dicendum est feras ira carere et omnia præter hominem*, i. e. et omnia omnino in rerum natura, non modo feras. Juv. X. 79: *nam qui dabat olim inperium, fasces, legiones, omnia, nunc se continet atque duas tantum res anxius optat, panem et circenses.*

Ad hæc exempla ego animo coniungenda esse existimo *collegit omnia*, i. e. quidquid omnino arripere et corradere potuit, *abstulit præsegmina*, i. e. ne præsegmina quidem, res vilissimas, reliquit, quasi sua et propria. Homo enim nobis describitur adeo avarus et sordidus, qui a tonsore non modo præsegmina sua abstulerit, sed in tonstrina hac occasione oblata usus, quidquid obviam factum sit, quamvis res viles et spurcas corraserit.

Difficilius est de interiore enuntiatorum copulatione disputare. Quae res quoniam brevi absolvi non potest nec tantae quæstioni parem me esse sentio, hoc dixisse satis sit: historiolas fabellasve narrantes homines ubi Plautus induxerit, eos homines sermone semper uti soluto vel ἀσυνδέτως formato. Quare ego illos versus sic discriptos propono:

Quin ipsi pridem tonsor unguis dempserat: Collegit omnia, abstulit præsegmina.

In Men. 1140 Brixius cum Ritschelio edidit: *Meretrix, [quae] huc ad prandium Me abduxit, me sibi dedisse aiebat.* Sed quid quæso inpedit quin cum codicibus scribatur: *Meretrix huc ad prandium Me abduxit, me sibi dedisse aiebat: prandi perbene etc.?* Denique Trin. 874 pronomen *quem* a Fleckeiseno inculcatum dudum remotum est.

Aulularia 377.

Abeo illim iratus, quoniam nihil est qui emam.

Posteriorem huius versus partem, quam numeris destitutam esse omnes consentiunt, ad integritatem alii alia via restituere conantur. Ego aliorum conamina examinare aut refutare supersedeo, quod repperisse mihi videor, hoc satis habeo proponere:

abeo illim iratus, quoniam nihili sum qui emam.

Euclio ad macellum venerat, rogitaverat pisces. Omnes omnia cara indicabant atque quia emptori æs non erat, ideo venditores eo maiora pretia poscebant. Hac scilicet inpudentia hominum abiectorum Euclio sibi contemptus cum videretur, iratus abiens, ut contumeliam illam ulcisceretur, hominibus inpuris manus adiit. Similitudinem huius loci invenias in Curc. 218; ubi leno Cappadox hæc loquitur: *Migrare certumst iam nunc e fano foras, Quando Aesculapi ita sentio sententiam, Ut qui me nihili faciat nec salvom velit.*

Aulularia 452.

Etiam [huc] intro duce, si vis, vel gregem venalium.

Hunc versum Ussingius excerpendum putavit, quia inter pluralia et antecedentia et sequentia singularis numerus *(duce si vis)* stare non posset. Ista tamen causa vacillat. Nimirum Euclio primum omnem servorum turbam, deinceps ipsum gregis ducem adloquitur. Veri simile

est, ubi audiverint Euclionis voluntatem, servos tamen non extemplo in illius domum rediisse, sed sui ducis iussa exspectantes adstitisse. Qui cum non statim abirent, Euclio oratione ad ducem conversa adhortatur, ut aliquando, si velit, gregem suum ducat intro.

Atque hanc sententiarum rationem esse facile apparet. Sed in hac ratione explicari aut cogitari non potest nec *etiam*, nec, ut nunc editur, *etiam huc*, quasi Euclionis domus ab altera nescio qua discerni debeat. Quare in *etiam* vitium subesse suspicatus nihil eo nisi aut EI IAM aut EI IĀTV contineri credo. Atque inperativi forma *ei* (= *i*) quam frequens sit cum in omnibus Plautinis fabulis tum in hac ipsa Aulularia, demonstrari non debet, sed qui exempla quærat, satis magnam copiam inveniet apud L. Schwabium in Jahnii Ann. 105, 414. Illud quæritur, an *vel* quoque depravatum esse dicamus. Nam etsi *vel* post *si vis* probari aut sustineri potest exemplis, cf. P. Langeni Beiträge p. 73 sq., tamen totius sententiae ratio mihi aut hoc: *i iam, tu intro duce, si vis, tuom gregem venalium*, aut hoc requirere videtur: *i iam duce, si vis, intro tuom gregem venalium.* Adverbium quidem *intro* suo verbo postponi non minus Plautinum est quam *introducere.*

Aulularia 461.

Di inmortales, facinus audax incipit,
Qui cum opulento pauper cœpit rem habere aut negotium.

Verbum *cœpit* nec a Plautina dicendi consuetudine nec ad ipsam sententiae rationem satis commodum aut sincerum videri recte nuper G. Gœtzius iudicavit, cum in editione sua quamvis dubitanter proposuit: *qui cum opulento pauper homine rem habet aut negotium.* Nam in ipsis libris continetur: *pauper homine cepit rem habere.* Quibus ex verbis certe *homine*, non item *cepit* supervacaneum est. Et quoniam *homine* conpendiaria fere semper scriptura OÑE exprimitur, illud mihi quidem veri simile videtur ONECEPIT coaluisse aliquando ex OCCEPIT. Quod verbum quotiens cum infinitivo iunxerit Plautus, doctos homines non est quod exemplis edoceam. Emendandum ergo censeo esse:

Di ínmortales, fácinus audax íncipit,
Quí cum opulento paúper occepít rem, habere aut negótium.

Aulularia 560.

Euclio: *Tum opsonium autem.* **Megadorus:** *Pol vel legioni sat est.*

Hoc responsum absurdum plane esse nec aut Megadori aut Euclionis personis congruere, demonstratum nuper est a P. Langeno (Beiträge p. 76 sq.). Idemque diligentissima quæstione probavit vim particulae *vel* exaggerantem et amplificantem prorsus alienam esse Plautino sermone. Sed a vero tamen nescio an vir ille doctissimus deerraverit, cum illum versum prorsus a Plauto abiudicandum esse censuit.

Falsae enim formae vocesve haud raro in monumenta veterum scriptorum inlatae sunt librariorum erroribus, qui quae describenda erant, cum casu aliquo depravata essent, falsa coniectura et errore quodam ingenii multo etiam magis depravaverunt. Quam humanae sortis iniquitatem cottidie nos subiremus, nisi summa fide ac religione traditae scripturae quisquilias etiam servaremus.

Ceterum in libris mscr., quae respondet Megadorus, ea continuantur Euclioni. Deinde *vel legioni* coniecturae potius quam veterum exemplorum conlationi originem debere, inde patet,

quod in B[1] sic scriptum est: *velleoni sat* ııı *est,* in D: *velleoni sata est,* in JFZ: *vel leoni sat est,* at contra in B[2] correctum est: *vel legioni sat est.* Hæc igitur coniectura speciosa illa quidem, sed aperte falsa est, quia et sententiarum ordini et personarum ingeniis adversis frontibus repugnat.

Inde apparet ex unius B[1] scriptura priscam et integram lectionem nobis eruendam esse. Atque videor mihi in vestigiis illis hæc repperisse: *vespelloni satist. [Vespellones vel] vespillones,* inquit Paulus Festi p. 368, *dicuntur qui funerandis corporibus officium gerunt, quia vespertino tempore eos efferunt, qui funebri pompa duci propter inopiam nequeunt.* Quocum fere consentit Fulg. p. 559. Becker Gall. III 283.

Et quem ad modum lautorum civium funera lautae et apparatae cenae sequebantur, ita inopes vespillonibus tenue et macrum epulum præbebant. Quare Euclio sic iudicat: opsonium autem quod mihi misisti inopis ac pauperis potius cenae funerali quam nuptiarum celebritati conveniens aptumque videtur. De forma *satist* disceptari potest. Mihi vestigia codicum hoc quoque in genere observanda videntur. Quare eandem formam restituendam esse credo v. 187:

pol sist animus æquos tibi, sat habes, qui bene vitam colas.

Etenim in libris non *sat habes,* sed *satis habes* repertum est, unde qui *sat habes* effecerit, versus sententiæve concinnitati ut satis fecerit, equidem vereor. Nam verbis *sist animus æquos* nihil nisi hoc membrum contrarium opponitur: *satist qui bene vitam colas.* Sic demum syllabae sono quoque sibi pares respondent. Locutioni *satist* cum interpretationis instar *habes* superadditum esset, postremo ex hoc emblemate tamquam plenum enuntiatum *satis* vel *sat habes* compositum est. Ceterum plane diversum est quod legitur Most. 654 (vel Bacch. 1019): *sat habeo, si cras fero.*

Aulularia 613.

ne adfinem morer, Quín ubi arcessát meam extemplo fíliam ducát domum.

In libris mscr. exstat *me meam,* quorum alterum utrum et supervacuum est et conturbat versus numeros. Vitium mihi inde profectum videtur, quod præpositione *ab* post extremam syllabam *at* absorpta librarii ex *me* littera *a* superimposita paulatim *me meā* effinxerunt. Antiquissimum igitur videtur: *quin ubi arcessat ab me extemplo filiam ducat domum.* Plautus sicuti dixit (Capt. 948): *gratiis a me, ut sit liber, ducito,* ita elocutus est Mil. 973 *a te ut abeat,* 969 *iube abs te abire,* 977 *abs te abire,* 1121 *abeat abs te,* 1141 *ab se ut abeat,* 1143 *a se ut abeat.* Hac igitur formula dimittitur aliqua ex domo et potestate simul alicuius.

Aulularia 623.

Sed si repperero, o Fides, Mulsi congialem plenam faciam tibi fideliam.
Id adeo tibi faciam: verum ego mihi bibam id ubi fecero.

Strobilus si aurum Euclionis reppererit, Fidei mulsi plenam fideliam se oblaturum promittit: re divina facta ipsum se sibi bibere ac genio indulgere posse sperat. Hunc sententiarum tenorem versus, quos supra præmisi, expressum illi quidem habent, sed nescio quo pacto illud animum offendit, quod re certa ac definita Fidei se sacrificaturum Strobilus profitetur, quibus autem deliciis suo se genio indulsurum speret, id plane prætermisit, nisi ex superiore enuntiato hoc simul elicias, servum suum quoque animum oblectaturum esse mulso. Servorum autem non erat mulsum, cf. Becker Gall. III 240, sed merum; hoc amabant, hoc si ita ferret, hauriebant,

cf. Mil. III 2, 847—852, Curc. 161: *capse merum condidicit bibere, foribus dat aquam quam bibant;* 126: *hoc vide ut ingurgitat inpura in se merum avariter faucibus plenis;* Amph. 426, Hor. III 17, 14: *cras genium mero curabis.* Quare Strobilum mihi quidem veri simile est dixisse: *merum* (non mulsum) *ego mihi bibam, id ubi* (cubi?) *fecero.* De exitu huius versus, in libris est *ubi id,* ego addubito, sed remedium quod adhibeatur ignoro: vitium in verbo *fecero* latere videtur.

Aulularia 758.

Haud te invito postulo, sed meam esse oportere arbitror:
Quin tu iam invenies, inquam, illam meam esse oportere, Euclio.

Libri cum præbeant *quin tu eam,* emendandum esse credo: *quam tu eam invenies* etc. Nam *quin* et *qui, quam* et *qui* persæpe in codicibus inter se permutantur, cf. Prolegg. ad Cic. de Inv. p. LI.

Illud vix memorari attinet, alterum infinitivum *oportere* non pendere posse ex *inquam,* sed infinitivi structuram repetendam esse ex superiore versu: *meam esse oportere arbitror.*

Capt. 263.

Secede huc: nam sunt quae ex te solo scitari volo.

Quoniam hiatus post *quae* tolerari non potest, variis additamentis critici explere versum studebant: Brixius cum Fleckeiseno edidit *quae ego ex te,* sed nulla profecto causa est, cur personae maxime efferantur atque inter se discernantur. Kochius proposuit: *secede ad me huc,* quasi Hegio Philocratem ad locum procul electum vocet ac non ab Tyndaro eum ipse aliquantum abducat. Ego ab Hegione video Philocratem seorsum vocari, quia sine arbitris cum eo agere velit. Hoc ut significaret, duobus Plautus modis usus vel *solus solum* vel *solum seorsum* dicebat, cf. Trin. 153, Asin. 362. Quod cum ita sit, illum Captivorum versum hunc in modum conformari posse arbitror:

Secede huc: sunt quae ex te solo solus scitari volo.

Quod *nam* ex versu eximendum duxi, illud aut errore ortum est ex *huc* — *huc nunc nam iam* innumeris locis permutata sunt —, aut cum *solus* casu intercidisset, versus supplendi causa arte adiectum est. De permutatis inter se *nunc nam iam* cf. Ribbeckius ad Mil. 735. Qua quidem in fabula v. 597: *nam opust nunc tuto loco* corrigendum mihi videtur: *nunc opust tuto loco.*

Capt. 277.

Quo de genere natust illic Philocrates?

Ad hunc locum hæc Ussingius adnotavit: vulgo sine præpositione *quo genere natus* (adicias *prognatus*) dicitur, nec tamen ideo mutaverim aut Brixii coniecturam *quo dic genere* probaverim. Ac Brixii coniectura ne ipsi quidem auctori iam probabitur. Nam quod comparavit Pers. 648 *quoiusmodi is, dic, in populo habitust,* ibi istuc *dic* non codicum aut sermonis Plautini sed unius Ritschelii nititur auctoritate, quem versum facilius sic emendari licet: *quoiusmodi is domi in populo habitust.* Sed in Captivorum versu tamen mutari debet, quod et ratio cogit et constans dicendi consuetudo. Nam vitiosa scriptura librorum potius ludibrio quodam casus quam poetae ingenio aut voluntate orta videtur. In archetypo enim libro scriptum fuisse opinor:

quod ē genere gnatus, cum pronominis ablativus desineret in *d*. Prisca ista forma ablativi, ubicumque falsae opinionis specie ac tutela servata erat, a Plauto usque ad Tacitum duravit. Huc pertinet *non quod* pro *non quo* positum, quorum utrumque pro ablativo haberi debet. Revocandum igitur videtur: *quod est genere gnatus illic Philocrates.* In Men. 1079 codices illi quidem omnes præstant: *tun a meo patre es prognatus*, sed præpositionem falsam esse arguit Menæchmi responsum: *immo equidem, adulescens, meo.*

Capt. 352. 354.

Quam citissume potest, tam hoc cedere ad factum volo.

Num in Plautino aut etiam in latino sermone cogitari aut tolerari possit *hoc cedere ad factum*, iure dubitant Brixius, Madvigius, Ussingius, sed quo tandem modo vitiosa illa dictio et orta videatur et emendari debeat, nemo quod sciam indicavit. Itaque coniecturam quamvis incertam proponere licet: *quam citissume potest, tam hunc reddere id factum volo.* Nam postquam oculorum erroribus *id* in *ad* atque *reddere* in *cedere* depravatum erat, *hunc* in *hoc* commutatum esse veri simile est. Hanc coniecturam argumentis probari nihil attinet, meliorem si quis invenerit, lubens ac lætus amplectar. Sed cf. Epid. 48: *id ei inpetratum reddidi.*

Respondet ad hæc Hegio:

Num quae causast quin, si ille huc non redeat, viginti minas
Mihi des pro illo? **Tynd.** *Optume immo.*

Hoc loco quem ad modum in B *optuma* repertum est, sic Aul. 262 legitur in omnibus libris: *sed nuptias hodie quin faciamus num quae causast? Immo hercle optuma*, atque hanc formam iure suo nuper retinuit Gœtzius. Nam qui respondet optimam causam esse, cur aut viginti det minas aut nuptias eodem die faciat, is voluntatem simul alterius sibi placere profitetur. Itaque quod Brix et Ussing optimi libri scripturam reliquerunt, mihi non probatur. Stabilitur enim illa etiam eo, quod si quis ante interrogavit *num **quid** causae est* respondetur *optumumst*, cf. Ritschl ad Trin. 1188.

Capt. 415.

Merito tibi ea evenerunt a me; nam nunc, Philocrates.

Versum ut efficeret, *sed* ante *merito* cum Brixio addidit Sonnenschein, particulam eo loco parum commodam. Melius A. Spengel (Phil. XXXVII. 435) *merito tibi ea provenerunt*, sed nec hoc verbum aptum est sententiae nec huc pertinent exempla adlata, velut Pers. 456, Men. 964. At contra nihil opinor inpedit quominus *evenerunt* ex *c̄venerunt* = *convenerunt* ortum esse statuamus. Exempli instar conparari licet Pseud. 177: *facite hodie ut mihi munera multa huc ab amatoribus conveniant* = conferantur, undique obtingant.

Ad vitii originem explicandam cf. 796 *eminatio* = *c̄minatio* = *comminatio.* Ac fortasse 788 in *eminor interminorque* continetur: *comminor interminorque, ne quis mi obviam obstiterit.* Cic. Fam. I 79: *emoneo* = *commoneo.*

Capt. 440.

Serva tibi in perpetuum amicum me atque hunc inventum inveni.

Verba ista, quae Tyndarus ad Philocratem convertit, ita enarravit Ussing: hunc, Hegionem, quem iam amicum invenisti, restituto filio multo amiciorem et perpetuum amicum invenies.

Similis est Brixii enarratio, præterquam quod non plane elocutus est, num *inventum amicum* duo verba cogitatione coniuncta esse voluerit.

Mihi hæc interpretatio parum commoda videtur. Nam *inventum invenire* quid tandem est nisi id quod inventum sit denuo invenire, h. e. absolvere et ad exitum perducere? Nam qui quod inventum est invenit, is aut denuo invenit aut inventionis summam partem habet, hoc est: quod cogitando inventum est id re et opera perficit. Quid igitur tum animo et cogitatione inventum iam erat? Hoc in genere duplex animis spectantium inventum obversatur. Hegio enim filium captivum quasi sibi inventum esse credebat, Philocrates autem et Tyndarus suis dolis alterius in patriam et ad parentes reditum sibi invenisse sperabant, quod inventum iam denuo inveniendum, h. e. expediendum et peragendum relinquebatur. Quae cum ita sint, comicam quandam in Tyndari verbis ambiguitatem contineri existimo, quam nunc quasi involutam apertius explicaveris, si parva curruptela sublata sic scribas: *atque huic inventum inveni.* Nunc demum hoc unum dictum et ad Hegionis filii libertatem et ad Tyndari consilium detorqueri potest.

Capt. 475.

Ipsi de foro tam aperto capite ad lenones eunt,
Quam in tribu aperto capite sontis condemnant reos.

Brixius et Ussingius explicandis his versibus non satis fecerunt, diudicare obliti, inpudentiae an modestiae ac boni moris fuerit reos in tribu condemnari aperto capite. Quid enim Ergasilum sentire dicamus? An iuvenes tam inpudenter ad lenones ire quam modeste agant in publicis officiis? Nam modestiae certe signum erat, non mali moris, si aperto capite in tributis comitiis iuvenes versarentur. Græci et Romani antiquitus vulgo nudo capite incedebant. Mulieres et viri prae mollitie solem aut ventum non ferentes capita operiebant vel palliis obductis velabant. Seneca Ep. 114, 6: *hunc esse, qui in omni publico cœtu sic apparuerit, ut pallio velaretur caput exclusis utrimque auribus, non aliter quam in mimo fugitivi solent.* Atque ita in publicum prodibant philosophi, cf. Curc. 288: *tum isti Græci palliati capite operto qui ambulant.* Præterea viatores, ut solis æstus defenderent, pileati ingredi solebant. In comitia certe honesti homines nec pileati nec velatis capitibus conveniebant.

Itaque multo acerbior et acrior Plauti sententia evadet, si ita eum iudicasse putabimus: qua inpudentia ea ætate iuventus se gerat in publico cœtu, eandem inpudentiam prae se ferre in deliciis privatae vitae, ruboris ac pudoris plane incuriosam. Hac via facile contingit, ut hiatus amoveatur: scribendum est:

quam in tribu coperto capite sontis condemnant reos.

Atque forma ista *coperto capite* nescio an revocanda etiam videatur in Curc. 389: *quis hic est operto capite qui Aesculapium Salutat?* Nam in libris omnibus pronomen *qui* ante *operto* positum habetur, quod mihi ex *quoperto* profectum videtur. Itaque corrigi licet:

Quís hic ést coperto cápite qui Aesculápium Salútat? atat quém quærebam. séquere me.

Sed dubito an iniuria adiciatur *qui*, quia Curculio cetera quoque quasi curta et incomposita eloquitur, velut exempli gratia dici potuit: *quis hic est coperto capite? ecce Aesculapium salutat*, cf. Langen p. 7.

Capt. 534.

Nunc enim vero ego occidi: eunt ad te hostes, Tyndare.

Duplicem hiatum ut corrigeret, Brixius non modo *adeunt* posuit, sed etiam Lachmanno auctore (ad Lucret. p. 388) priscam accusativi formam *ted* pro *te* induxit, Sonnenschein hæc aspernatus cum Lindemanno in exitu eiusdem versus *ei mihi* addidit, quia in codicibus sub finem insequentis versus *mihi* adhæret *(fatebor mihi)*.

Mihi utrumque vitium sublatum videtur, si pro *eunt* reponitur *cedunt* vel *incedunt*, quia præpositio *ī* superioris verbi extrema syllaba *di* facillime absorberi potuit. Personae enim novae si ab eis qui in scena agebant appropinquantes conspiciebantur, fere semper *incedere* vel *cedere* ad aliquem dicebantur, velut Aul. 473: *sed Megadorus meus adfinis eccum incedit a foro*, præterea cf. ibid. 517: *iam hosce absolutos censeas: cedunt petunt treceenti item alii*, 520: *absolutos censeas, quom incedunt infectores corcotarii*, 526: *ibi ad postremum cedit miles, æs petit.* Pœn. 472 *sed eccum incedit* (Antamœnides).

Capt. 581.

Quia tute ipse eges in patria nec tibi qui vivas domist,
Omnis inveniri similis tibi vis.

Plautum et hominum et rerum similitudines constanter genetivo casu denotasse nec umquam admisisse dativum, exemplis et argumentis evicit ac demonstravit Ritschelius Opusc. II 572, 579 sq. Quodsi supra *tibi*, Truc. 505 *mihi* invenitur, hosce dativos temere in *tui* et *mei* mutari facile concedimus Ussingio ad Amph. 595, sed omnis temeritatis species evanescit, si restituuntur priscae et Plautinae formae *tis* et *mis*, quarum illa sæpius in Mediolanensi codice rescripto recurrit, cf. Mil. 1028 et Ritschl ad Trin. 343, hanc in ipsis Captivis 762 recte agnovit et detexit A. Luchs in Herm. VI 274, quocum consensit Brix in Append. 762. Atque æquabilitas membrorum et sonorum me adducit, ut Men. 1089 quoque ita emendandum esse putem:

Quam hic tis (tui est Codd.*) tuque huis autem (tuq . . . uius* B[1]*).*

Capt. 596.

TY. *Atra bilis agitat hominem.*
AR. *At pol te, si hic sapiat senex,*
Pix atra agitet apud carnuficem tuoque capiti inluceat.

In libris mscr. traditum habemus inverso ordine *atra pix*, quo verborum ordine cum numeri versus stare non queant, Ussingius nomen adiectivum *atra* omnino sustulit tamquam librarii cuiusdam errore ex superiore versu repetitum, Brix et Sonnenschein Lindemanno auctore ordinem verborum mutatum *pix atra* anteponendum esse duxerunt. Addidit Lindemannus: *non enim refert atram picem sed picem potissimum minitari Tyndaro.* Sed hoc argutius quam verius iudicatum est. Nam ut atra bilis ita atra pix non binae notiones sunt sed quasi singulae notiones una mentis agitatione animo et cogitatione conprehenduntur. Accedit quod si *atram picem* iunxeris pix ipsa non thesi attenuatur nec minore ictu effertur quam si *pix atra* ponatur. Denique ut Tyndarus Aristophonti obiecerat *atram bilem*, ita hic facere non potest quin eodem verborum ordine cum arguta quadam acerbitate Tyndaro minetur *atram picem.* Muta in his

minis unum aliquid: acrimoniam orationis omnem infregeris. Ac tamen vitium aliquod subest, quod ubi lateat abditum hoc quæritur. Non utique necessarium est illud *apud carnuficem*, sed tamen servos carnufici ad cruciandum tradi solitos esse negari non potest, cf. Capt. 1019, Bacch. 688, Rud. 857. Itaque si quid frigidum in his verbis videatur inesse, hoc consuetudinis ratione eximitur. Atque eadem illa consuetudo inpedit quo minus præpositionem *apud* ex *ad* errore quodam ortam esse statuamus. Relinquitur ut vitium quæratur in uno verbo *agitet*. Versus ipse quidem sic decurrere potest:

Atra pix agat apud carnuficem tuoque capiti inluceat.

Hoc modo si ad integritatem versus perventum esse putabimus, simul originem vitii patefactam esse apparet. Nec quidquam causae est quare in hoc verbo eandem vim esse atque in agitando exemplis probetur. Itaque in hac coniectura, nisi quid melius excogitaveris, acquiescendum puto.

Capt. 766.

Exauspicavi ex vinclis: nunc intellego
Redauspicandum esse in catenas denuo.

Exauspicare vocem singularem, quae nusquam alibi inventa est, hunc in modum interpretatur Forcellini: auspicium huius itineris ex vinculis duxi, quare ut malo auspicio huc veni, ita ad vincula mihi denuo redeundum est, quasi ad auspicia (mala?!) repetenda.

Falsam esse hanc rationem, inde patet, quod si ulla ex catenis auspicia repeti liceret, certe non alia repeterentur atque illa fuerunt, quibus ad Hegionem venerat.

Aliquanto melius vocem obscuram inlustravit Ussing: vinculis, inquit, liberatus quasi ex servitute egressus libertatis auspicia cepi: nunc in vincula redeundum et nova servitutis initia sive auspicia capienda sunt. At *redauspicare in catenas*, quoniam nemo profecto auspicandi causa catenis induitur, significare nequit auspicia novae servitutis capienda, sed si quidquam, vulgarem redeundi in vincla notionem denotare debet, quae Brixii est opinio. Sed quia propria vis huius verbi ac natura nec cogitari animo nec ad rationem huius loci adcommodari potest, istuc verbum ipsum ex obscuris veteris lectionis vestigiis confictum esse suspicor. Quod ni ita esset, a glossographis singularis ista locutio explicata haberetur.

Quodsi quibus ex verbis conflatum esse possit circumspicimus, occurrit et offert se nobis apud Non. 165: *redandruare* = *redire*, Lucil. lib. VIIII. (v. 282 Lachm. IX 62 L. Mueller) *ut vulgus redandruet inde*, et apud Fest. 270: *redandruare dicitur in Saliorum exultationibus, cum præsul amptruavit (ampiruavit* cod.*), quod est motus edidit, et* (add. L. Mueller) *ei referuntur invicem idem motus, Lucilius: præsul ut amptruet (ampiruet* cod.*) inde volgus redamplavit at*, quem versum nunc L. Mueller et C. Lachmannus ita ediderunt: *præsul ut amptruet inde (hince* Muell.*), ut volgu' redamptruet inde.* Præterea cf. Pacuvius 106 (ed. Ribb.): *pro merenda gratia, Simul cum videam Graios nihil mediocriter Redamptruare opibusque summis persequi.* Hoc verbum ut facile in Captivorum locum adhibetur, ita facile informari potest, si ut apud Festum corruptum fuerit, quomodo inde *redauspicare* effingi potuerit. Sententiae quidem ratio optime congruit: quem ad modum lætus modo et hilaris ex vinclis exsilui, sic nunc mihi eodem modo in catenas retro saltandum esse intellego. Accedit quod Hegio in utroque itinere tamquam præsul aderat. Conparare denique haud absurdum sit v. 900: *bene ambula et redambula.*

Capt. 940.

Pro benefactis eius ut ei pretium possim reddere.

Quoniam in B exstat *uti*, cuius vetustior forma certe *utei* fuerat, Fleckeisen et Brix ediderunt *ut ei pretium* etc. Sed et valentior exit sententia et versus melius ad aures accidit sic:

Pro benefactis eis (= eius) uti par pretium possim reddere.

Nam sicut Philocrates suam Tyndaro libertatem ipse debuerat, sic religione nunc tenetur, ut Tyndarum rursus in libertatem restituat.

Capt. 373.

Sequere: em tibi hominem. TY. *Gratiam habeo tibi,*
Quom copiam istam mi et potestatem facis.

Cum Ussing (ad Amph. 179) tum vero P. Langen (Beitr. 12) copiose demonstraverunt Plautum semper *habere gratiam*, nusquam *habere gratias* dixisse. Duobus locis, Capt. 373 et Mil. 1425, infirmari videtur illa regula eo quod in ipsa illa formula apparet hiatus. Atque A. Luchs (Stud. I 1, 23) sic statuit: omnia verba cretica, sive in vocalem longam sive in *m* litteram desinant, hiatum admittere in dihæresi ante ultimam dipodiam iambicam. Hanc autem non dico legem sed veniam iure repudiavit O. Ribbeck, cum altero loco Guyetum secutus edidit: *gratias habeo tibi.* Sed hac ratione firmum dicendi usum variari non minus aleae plenum videtur. Nec metrica lex, qua iambicorum exitus tenentur, admittit *gratias ago tibi.* Relinquitur ergo ut duobus illis locis aliud remedium adhibeatur. Quid autem propius abest quam ut quae tradita sunt hoc modo distinguantur: *gratiā m habeo tibi*, quibus in conpendiis continetur hæc exclamatio: *gratiam ut habeo tibi!* Atque huiuscemodi exclamatio animi beneficiis conmoti cadit in utrumque locum. Nec hanc rationem Plautino sermone alienam esse cognoscimus ex Epid. 341: *Pro di inmortales! mihi hunc diem ut dedistis luculentum, Ut facilem atque inpetrabilem,* quo loco illud quoque commemorari attinet *ut* priore loco, quia antecessit littera *m*, item in libris absorptam esse. Trin. 659 Langen proposuit: *et tibi nunc proinde ut merere summas ago ego gratias*, quam emendationem præferendam puto etiam Pœn. V 4, 104: *di deæque omnes, vobis habeo merito magnas gratias.* Ubi quamvis facile pluralis mutetur in singularem, hic tamen nescio an parum conveniat Hannonis religioni votis obligatae.

Men. 150.

ME. *Perge.* PE. *Non pergo herele, nisi scio qua gratia.*

Numerorum et versus causa alii *perge porro*, alii *hercle ego*, non pauci *hercle vero*, postremo L. Schwabe (Jahn. Ann. 105, 407) *perge perge* proposuit, quae eiusdem verbi repetitio pro huius loci ratione nimiam vehementiam habet. Peniculus Menæchmum paulo ante conlaudaverat his verbis: *atque hilarissume.* Inde hunc illum non modo pergere iubere sed antequam id faciat inceptam laudem probare et conlaudare necessarium mihi videtur. Quare conicio: *Euge! perge!* At contra Amph. 802 Sosiae servili gaudio congruit: *euge euge optume!*

Men. 210.

Glandionidam suillam, laridum aut pernonidem
Aut sincipitamenta porcina aut aliquid ad eum modum.

Hanc codicum lectionem L. Schwabe docta disputatione (Jahn. Ann. 105, 408—412) ita mutavit:

glandionidam suillum aut laridum pernonidam etc.

Sed primum non satis probavit *laridum* adiectivum esse, deinde pro nihilo fecit, quod librorum memoria non *aut laridum* sed *laridum aut* confirmatur, denique non explicavit, cur in eisdem libris patronimicum comicum prius in *-dam*, alterum in *-dem* desineret. Has difficultates omnes sublatas esse credo hac correctione:

Glandionidem aut suillam, laridum aut pernonidem.

Nam illud iam P. Langen (Phil. 33, 709) recte observavit, laridum et pernam res inter se diversas esse. Sed eodem prorsus modo et propinqua et diversa tamen sunt glandia et suilla. Cf. interpr. ad Capt. 903.

Men. 216.

Sequere tu me. Ego hercle vero te et servabo et te sequar.

Pronomen *te* cur repetatur quia nulla esset causa, Brixius proposuit *te servabo usque et sequar*, Ussing lectionem codicum deteriorum *tisequar* ita correxit ut *insequar* scriberet. Sed ut hoc a ratione loci abhorret, ita illud nimium a tradita scriptura recedit. Utramque in partem accommodatum mihi videtur: *te et servabo et consequar;* cf. Amph. 880: *Mercurium iussi me continuo consequi.* Truc. 512: *consequere atque illam saluta et gratulare illic. Sequor.*

Men. 242.

Ergo istuc quæro certum qui faciat mihi,
Qui sese dicat scire, eum esse emortuum.

In cod. A legitur *qui id*, in C *quid*, denique in BD *qui.* Antiquissimam igitur lectionem esse *qui id* negari non potest nec facile credetur, quod Brixius autumat, *id* explicandi causa, quasi deesset obiectum, additum esse. Obiectum enim ipsum tam manifestum erat, ut qui aliquid adderet illud utique animo comprehendere et oculis videre posset. Accedit quod etiam Pseud. 599 *certum qui id mihi faciat* in BD abiit in *quid mihi faciat*, denique in Z *qui mihi faciat* legitur. Relinquitur igitur vetustissima lectio ad explicandum. Atque illa facile stare potest, si pro *istuc* scribas *istum.*

Ergo istum quæro, certum qui id faciat mihi,
qui sese dicat scire, eum esse emortuom.

Etenim ista sententia optime congruit cum eis quae antecedunt verbis: Si quidem fratrem ipsum invenire me posse nulla iam spes est, restat, ut eum inveniam, qui mortuum illum esse pro certo mihi adfirmare possit.

Men. 268.

Tu amator magnus mulierum es, Messenio,
Ego autem homo iracundus, animi perciti.

Libri msc. præbent: *tu magnus amator*, qua in verborum conlocatione quoniam dactylus tolerari non potest, alii ut supra descripsi alii *magnus tu amator* mutaverunt. Sed multo minore versus laborat vitio. Nimirum emendari debet: *tu magis amator mulierum es.* Nam Messenionis et Menæchmi ingenia inter se comparantur: Messenio magis ad amores, Menæchmus magis ad iram inclinare dicitur.

Men. 292.

Nam equidem insanum esse te certo scio.

Versum curtum alii alio modo amplificare studebant. Ego nescio an emendari possit:
Nam equidem insanissumum esse te certo scio.
Cf. 516: *non tu abis quo dignus es, aut te iubes piari, homo insanissume?*

Men. 519.

Numquam edepol quisquam me exorabit, quin tuae
Uxori rem omnem iam, ut siet gesta, eloquar.

Codd. *sit*, Brix *siet*, qua in emendatione mihi non tam prisca forma in quarto senarii pede quam accentus ictusque distractio intoleranda videtur. Multo magis arridet illud quod Ritschelius temptavit: *ut sit gesta, ego eloquar.* Sed nescio an facilius post *sta* correlativum *ita* excidisse statuamus atque *ut* — *ita* adverbialis ablativi *ordine* loco positum credamus, cf. 679: *uxor rescivit rem omnem, ut factumst, ordine,* ubi *ut* — *ordine* pro correlativis *ut* — *ita* habetur.

Men. 690.

Eandem nunc reposcis. patiar: tibi habeto, aufer, utere
Vel tu vel tua uxor, vel etiam in loculos conpingite.

Libri mscr. omnes *tibi habe.* Quare quia forma *habeto* ceterorum imperativorum concinnitas conturbatur — Trinummi 266 exemplum nihil huc facit —, corrigendum videtur: *tibi habe eam, aufer, utere,* nisi præferendum ducas: *tu tibi habe aufer utere,* quocum congruit *vel tu vel tua uxor.* Ne 1125 quidem, ubi codices omnes *salve* præbent, tolerandum esse arbitror *salveto: mi germane gemine frater, salveto: ego sum Sosicles.* Nam quod libri *mihi* potius quam *mi* habent, id documento est antiquitus hunc versum sic conformatum fuisse: *Salve, mi germane gemine frater: ego sum Sosicles,* cf. 1132. At contra *salveto* recte se habet, ubi salus oblata redditur, cf. Merc. 284, Asin. 297, Curc. 235, Most. 569, Lachm. ad Lucr. VI 749. In Men. 1076 scriptura etiam nunc incerta est, Capt. 1006 recte A. Spengel emendavit: *o salve exoptate.*

Men. 809.

Iam ego ex hoc ut factumst scibo: adibo ad hominem atque adloquar.

Senex Menæchmum non salutare — hoc esset adloqui —, sed sermonem et disceptationem cum eo instituere vult, id quod est conloqui aliquem, cf. Plaut. Amph. 339, ubi recte

conloqui in B, 898: *te volo, uxor, conloqui. Cur ted avortisti?* Asin. 150: *ne id quidem me dignum esse existumat, [ad] quem adeat, quem conloquatur.* 523: *compellare aut contrectare, conloquive aut contui.* Capt. 833. Most. 783. Men. 431. Pseud. 251. 245. Amph. 180: *dis advenientem gratias pro meritis agere atque adloqui*, ubi *colloqui* cogitari non potest. Quodsi in codd. legitur vel *ad quem loquar* (B[1]CD) vel *atque loquar*, ex his litteris eruendam puto hanc scripturam: *at quomloquar*, qua continetur nihil nisi hoc *ac conloquar.* Num *ac* ante *c* consonantem usurpaverit Plautus, id quidem mihi nondum exploratum est. *Ultro adloquar* Men. 360, cf. Langen 103.

Men. 812.

Summum Jovem
Deosque do testis.

Certe Plautus ita locutus est, cf. Pseud. 514: *Do Jovem testem tibi Te ætatem impune habiturum.* In Capt. 426, ubi alii *Id ut scias, Jovem supremum testem do [tibi] Hegio*, alii *testem laudo Hegio* secundum Nonium p. 335 scripserunt, pridem A. Spengel (Phil. XXXVII 436), nuper P. Langen (Beiträge p. 219) emendaverunt *Jovem supremum testem testor, Hegio*, ad exemplum Rud. 1338: *Venus Cyrenensis, testem te testor mihi.* In Menæchmis tradidit B[1]C *deosque detestes*, B[2]D: *detestor.* Quodsi solas litteras aucupere, facile cum Grutero inclinaveris ad corrigendum: *deosque do testes.* Sed hanc opinionem si sequimur, illud offendit, quod deinceps potius in præpositionem *de* quam in interrogativum pronomen *qua* ictus cadit. Quod ut evitetur, quoniam nihil impedit quin *quoius* una syllaba comprehendatur, ad emendandum propono: *deosque testes testor*, quae vox grandis et solemnis optime cum animo et voluntate Menæchmi congruere videtur.

Men. 824.

Senex. *Non te tenes?*
Iam uero Menæchme satis iocatu's: nunc hanc rem gere.

Isti versus quin Seni potius quam Matronae contribui debeant, vix credo dubitari potest. Codices quidem Senis nomen omittunt, deinceps *non tu te tenes* præbent. In his vestigiis mihi primum *Senex (= tenes)*, deinde *non taces* latere videtur. Quare emendandum videtur esse: **Senex.** *Non tu taces?* Cf. 1026. Trin. 514. 790. Curc. 41.

Men. 828.

Viden tu illic oculos livere? ut viridis exoritur colos
Ex temporibus atque fronte, ut oculi scintillant, vide.

In cod. C: *iure reutuiridis*, in D: *urerea tui ridis*, in B[1]: *iure . . uiridis* c. ras. Inde Camerarius *uirere ut viridis*, Ritschelius *livere ut viridis* elicuit. Sed iratorum vel insanorum oculi, antequam furoris impetus erumpant, nec lividi nec virides esse solent, sed sanguine suffusi rubidi videntur. Qua re ego correxerim: *oculos rubere:* exinde paulo post oculi scintillare dicuntur. Atque eodem simul tempore reliquum corpus modo lividum modo viride modo maculis conspersum pallet. Cf. Shakesp. Errorum Comœd. IV 4, p. 59 sq.

Curc. 55—56.

E nuce nuculeum qui esse volt, frangit nucem:
Qui volt cubare, pandit saltum saviis.

Sic recentes editores. Nam in libris pronominis relativi concinnitate conservata hiatus hic admittitur: *qui e nuce nucleum esse volt.* Eundem vero versum mirum est quod Macrobius Sat. III 18, 14 (ed. Jan) hunc in modum exhibet: *Qui e nuce nuculeos esse vult frangit nucem.* Ibi pluralis numerus *nuculeos*, quoniam cum singulari *nuce* conciliari non potest, quin errore librarii cuiusdam ortus sit, haudquaquam dubium videtur. Atque in *os esse* mihi *exesse* videtur contineri. Quod si vere coniecerim, Plauti versum sic reconcinnandum esse existimo:

Qui e nuce nuculeum exesse volt, frangit nucem.

Curc. 424.

Quidni noverim?
Clupeatus elephantum ubi machæra dissicit.

Sic hunc versum nuper expressit G. Gœtz. In BE exstat *dessicit*, in F *diligit.* In Festo Pauli p. 69, 15 legitur: *dirigere apud Plautum invenitur pro discindere (discedere* Cod.*).* Nonius p. 290, 5: *Diligere manifestam habet significationem ut plerumque. Diligit dividit Plautus in Curc.: Clipeatus eligantum ubi macera diligit.* Atque apud Nonium duorum verborum explicationem in unum esse conflatam veri simile est. Nam ita illum locum emendari debere existimo: ***diligere*** *manifestam habet significationem, ut plerumque . . . .* ***Dirigit*** = *dividit Plautus in Curc.: clipeatus elifantum ubi macæra dirigit.* Quodsi *dirigit* vetustissimam scripturam esse probabile est, Plautum ipsum ut dividendi notionem efferret non *dirigit* sed *dierigit* scripsisse apparet. Quare de militis gloriosi sigillo Lyco trapezita sic dixisse videtur:

Clupeatus elefantum ubi machæra dierigit.

Trin. 504.

Eheu, ubi dicto nil erat usus, spondeo
Dicebat, nunc hic, quom opus est, non quit dicere.

Priorem versum qualem edidit Ritschl quamquam sincerum non esse credo, tamen intactum relinquo, quia melius quidquam me probare posse despero; alterius versus exitum vitio laborare demonstrari potest. Stasimus non hoc eloqui vult Lesbonicum ubi nihil sit usus, dicere posse spondeo, cum opus sit, idem non dicere posse, sed illud queritur, dominum suum, ut damnum faceret, sæpe numero spondeo dixisse, quasi nihil facto facilius esset, nunc ubi propria utilitas agatur mutum adstare. Corrigendum igitur existimo esse: *non quit hiscere.* Ceterum *hic* pro nominativo mihi habetur ac Lesbonicum significare videtur. Nam quam Brixius enarrandi rationem commendavit, eam propterea amplecti non licere puto, quia in *nunc et hic* prorsus eadem notio inesset, cuius rei exemplum idoneum protulit nullum. Verbum hiscendi alio quidem sensu legitur Pseud. 952: st, tace, ædes hiscunt.

Epid. 365.

Nunc ego astutiam hanc institui:
Deveniam ad lenonem domum egomet solus, eum docebo,
Si qui ad eum adveniat, ut sibi datum esse argentum dicat.

Sic edidit Gœtz, in B hæc invenitur discrepantia: *hanc astutiam*, *eum ego docebo, si quid adveniam* sed ex *veniam* ut videtur corr. et ante *ad* 3—4 litt. eras., *esse datum*.

Epidicus ab ero maiore ad lenonem cum Apœcide pecuniae solvendae causa ire iussus est. Anteaquam autem Apœcidem in foro conveniat, clanculum decessit ad lenonem eumque solus solum docet, quid eum dicere velit, si ipse paulo post cum Apœcide ad rem transigendam redeat. Ex hac sententiarum ratione primum illud apparet, recte et vere traditum esse sive *ueniam* sive *adveniam*, deinde clandestinae actionis notiones pertinere ad *docebo*. Atque verisimile est, ad verum enim perveniri non potest, alterum versum hunc fere in modum formatum fuisse: *deveniam ad lenonem domum, solus ego eum docebo.* (De *egomet* cf. Ribb. Mil. 236.) Quod ad alterum versum attinet, omnium primum quæritur, quid abditum lateat in *si quid* IIII. Et sensus quidem postulat ut hoc ex *quicum* depravatum esse arbitremur, cf. Brix ad Trin. 905 Ind. Rasura ipsa indicat librario *si quicum* (ad) *veniam* ante oculos fuisse idque in *si quid ad eum veniam* corrigendum visum esse. Quod cum ita sit, hunc versum ita reconcinnabimus: *Si quicum ad eum veniam, ut sibi datum esse argentum dicat*, cf. 456. Relinquitur ad sanandum primi versus pars altera, aperte manca. Et *nunc ego* verum esse inde patet, quod Epidicus his ipsis voculis suorum consiliorum rationes et progressus inlustrare solet, cf. 354, 357, 359. Ibi enim pro *iam ipse* corrigendum esse *nunc ipse* probabilius est quam *sed iam ipse.* Tradita autem verborum collocatio *hanc astutiam* ideo non inmutanda videtur, quod idem ordo eorundem verborum et Mil. 237 et Capt. 250 recurrit, ac tolerari potest, si scribas: *Nunc ego hanc astutiam astu institui.* Eodemque modo auferri licet hiatum in Mil. 237: *Nunc sic rationem incipisso, hanc instituam astu astutiam.*

Epid. 64—65.

Thesprio: *Quid nunc me retines?* **Epidicus:** *Amatne istam quam emit de præda?* **Th.:** *Rogas? Deperit.* **Epid.:** *Hercle detegetur corium de tergo meo.*

His duobus in versibus quae latent vitia egregie Fleckeisen et detexit et emendavit (J. A. 119, 767):

Quid nunc me retines? Istam amatne, quam emit de præda? Rogas?
Immo deperit. Degetur corium de tergo meo.

Duae autem res dubitationem mihi moverunt. Primum nescio an *istam* pro additamento potius habeatur. Nam proximis qui antecedunt versibus ancilla captiva non commemoratur: exspectaveris igitur non *istam*, sed *illam* vel *eam.* Sed huiuscemodi pronomina permultis locis interpretationis causa addita sunt.

Alterum quod parum recte se habere suspicor, *immo* est ante *deperit* positum. Certo hoc Plautinum est, ni desideretur ante *degetur corium* aliqua commiserantis se servi exclamatio. Nam feroces istae servorum facetiae commiserationes exclamationesve subsequi solent. Quare corrigendum mihi videtur:

Quid nunc me retines? Amatne quam emit de præda? Rogas?
Deperit. Perii! degetur corium de tergo meo.

Verbi *deperit* vis tanta est, ut vi particulae *immo* iam efferri nec possit nec debeat.

Truc. 272.

Quia tibi insuaso infecisti propudiosa pallulam,
An eo bella's? quia clepis tibi armillas, an eo's ferox?

Ita nuper edidit Fr. Schœll satis audacter. Nam clausula quidem alterius versus hæc est in A: *aneas*, in BCD: *aduenias*. Ingeniosius coniecerat Bugge (Jahni Ann. 107, 408): *an eo Venu's* vel *an eo Helena's*, qua ille coniectura saltem viam monstravit, qua propius ad verum perveniretur. Ante enim quod legebatur, *armillas æneas*, nec loci rationi conveniens videbatur nec cum Plautina dicendi consuetudine congruebat, Plautus enim *ænas* vel *ahenas* dicere consuerat, denique interrogationum vim et flumen præpediebat. Sententiarum igitur rationem recte perspexit Bugge, post eum Schœll. Restat ut verbum inveniatur, quod et sententiae et litterarum ratione commodum et conveniens videatur. Atque hanc in partem proponere me posse hanc emendationem puto:

Quía clepis tibi ármillas, an vellicas?

Reprehendit Stratulax Astaphium, quod ornata et fuscata ideo superbire et homines bonos ac simplices lacessere et carpere sibi licere putet. Quam facile autem UELLICAS in UENIAS abierit, primo obtutu apparet. Ad verbi vim et usum cf. Merc. 407: *Contemplent conspiciant omnes, nutent nictent sibilent, Vellicent vocent, molesti sint, occentent ostium.*

Most. 834: *Cornix adstat: ea volturios duos vicissim vellicat.*

Truc. 263—264.

Strat. *Eam quidem hercle tu, quae solita's, conprime!*
Inpudens, ut per ridiculum rustico suadet stuprum!
Ast. *Eiram dixi: usu cepisti, dempsisti unam litteram.*

Istarum sententiarum ratio ut plana et aperta patet, ita in verborum usu etiam nunc incerti variant editores. Atque illa scriptura quam supra exhibuimus debetur Fr. Schœllio. Qui *ut per ridiculum* per coniecturam induxit Ambrosiani libri auctoritatem aspernatus. Nam in Palatinis exstat *per ridiculum ut*, in A: *quae per ridiculum*, deinceps in Palatinis *suadet*, in A *suades* inest. Ego facio cum A. Spengelio, qui hunc versum sic edidit: *inpudens, quae per ridiculum rustico suades stuprum!* Nam primum rusticorum ea est consuetudo, ut iras et indignationes potius in inimicos adstantes evomant quam oratione ab adversariis aversa secum loquantur, quod facere incipiunt cum illi discesserunt. Deinde interpolationis nec in Ambrosiano nec in Palatinis ulla esse potest suspicio. Nam in his facillime *q*; ante *p*, in illo *ut* post *um* excidit casu ac fortuito. Accedit quod coniuncta scriptura duorum codicum sententiae optime consentanea est:

Inpudens, quae pér ridiculum ut rustico suades stuprum!

In sequenti versu Schœll: *usu cepisti*, quo nihil magis alienum cogitari potest, Spengel: *tu decepsti*, quod ut verbi formam omittam vel ad sententiam ieiunum et frigidum est. In A est: *sutdecepisti (*aut *uttedecepisti)*, in BCD: *ut esse cepisti*, deinceps in A: *demsisti unam litteram*,

in B: *sidem sistun alteram*. Quae cum ita sint, ego *decepisti* ex *dempsisti* ortum esse ratus hanc coniecturam audeo:

Eiram dixi: astu dempsisti de meis unam litteram.

Non modo *astute* sed *astu* etiam adverbii loco Plautinum esse constat.

Truc. 259.

Ast. *Salve, Stratulax.* **Strat.** *Sat salutist: nil moror! non salveo?*

Hæc scriptura audacissima Fr. Schœlli coniectura nititur, cuius rationes et argumenta apud ipsum vide in Prolegg. XL—XLI. In codd. A est: *salve sat mihi est tuae salutis*, in Palatinis: *salve satis mihi est tuae salutis*, deinceps in A: *sat salveo*, Palatini vero cum Sacerdote (p. 433 et 490 K) tuentur *non salveo*.

Ego illud editori novissimo concedo, nullo modo ferri posse: *Salve. Sat(is) mihi est tuae salutis.* Nam qui ita loquitur, alterius salutem oblatam non aspernatur, sed sæpenumero illam sibi salutem iam oblatam esse dicit. Hac quidem ratione qui salutationem respuerit, magis ille urbane quam rustice egerit. Vitium igitur quoniam in *mihi* latere videtur, ego conicio: *Salve. Satin est tuae salutis?* = nonne tibi te salvam esse sat est? *Nil moror* = tuum salve ego non curo nec indigeo. Deinceps quod sequitur, *non (sat* A*) salveo?*, Ambrosiani an Palatinorum plus valeat auctoritas, etiam nunc disceptatur. Mihi duae istae scripturae ad communem fontem, *satin salveo*, revocandae videntur. Quae volgaris dictio, qua de cf. Brix Trin. 925 Men. 521, ut explicaretur, adscriptum est *non:* irrisio certe, quam loquitur Sacerdos, ea sive *non* sive *satin* scripseris permanet intacta.

Truc. 258.

Ast. *Ego sum: respice ad me!* **Strat.** *Quid „ego“? non invideo te tibi.*

Ista scriptura Schœlliana nemini facile placebit. In BCD exstat: *nonne ego videor te tibi*, in A: *nonne videor tibi*. Corruptelam arguit *nonne*, quam particulam Plautus usurpavit nusquam. Quare hæc propono:

Ast. *Ego sum, respice ad me!* **Strat.** *Quid „ego“ nomen?* **Ast.** *Quin videor tibi!*

Truc. 245.

Semper datores novos oportet quærere,
Qui de thensauris integris demus danunt.

Hic alterius versus exitus *demus danunt* proditur BCD, in A est: *demum occerunt*, quod certe non ex 103, 112 confictum est, ut videtur Schœllio. Vitium subesse apparet ex vocabulo *demum* vel *demus*, quod hoc loco alienum esse ostendit P. Langen (Beitr. 305). Ac nescio an in illa corruptela *decimam* vel *decimas* contineatur. Nam *decima quaeque*, ut ait Festus Pauli p. 71, *veteres dis suis offerebant*, amatores quidem dis suis meretricibus sua bona decimabant.

Formae *danunt* et *oggerunt* quamvis inter se diversae sint, fieri tamen potuit, ut ex uno eodemque archetypo fluxerint, in quo *accunt* = *accerunt* fuisse veri simile est. Quare conicio:

Qui de thensauris integris decimam adgerunt.

Nec repugno si quis maluerit: *decimas danunt.*

Truc. 221.

Nos divitem istum meminimus atque iste pauperes nos:
Vorterunt sese memoriae, stultus sit qui id miretur.

Pronomen *sese* debetur codicis D correctori nec ullam habet auctoritatem. Quod quamquam recentiores quoque editores recipiendum duxerunt, tamen, nisi memoria et observatio me fallit, Plautino sermoni repugnat, in quo *vortere* semper intransitive, non cum reflexivo pronomine coniunctum invenitur. Quare nescio an potius scribatur: *nostrae vorterunt memoriae.*

Truc. 160.

Tu a nobis „sapiens" nihil habes: nos „nequam" abs te habeamus.

Versum istum depravatum esse imperfectis numeris simul et coniunctivo modo indicatur. Hæc duo vitia uno verbo auferri posse existimo: *abs te beamur*, i. e. habemus et cottidie eis delectamur. Idem verbum eodem sensu habetur in Capt. 133.

Capt. 1022—1024.

Nunc demum in memoriam redeo, quom mecum cogito,
Nunc edepol demum in memoriam regredior audisse me
Quasi per nebulam Hegionem meum patrem vocarier.

Horum versuum alterum Fleckeisenus, Brixius primum inclusit. Præterea ille in primo versu emendavit *recogito* in tertioque correxit *nebulas*, hic in eodem versu *nebulam* servavit, sed cum Müllero *olim* inserendum putavit.

Vitium igitur aliquod vetustissimum subesse apparet nec duos priores versus totos ex antiquitate propagatos sed ex particulis et emblematis confictos esse veri simile est.

Quodsi additamentis istis secernere volumus partes integras et vetustas, omnium primum nec *redire* nec *regredi in memoriam* alterum alteri præferendum est, quia alterum utrum numerorum gratia fictum adiectumque esse necesse est. At contra *cogito* sinceritatis quandam speciem habet. Nam ut hoc verbum propria vi ac natura pro reminiscendo et recordando poni potuisse a vetere scriptore nemo negabit, ita posterioris ævi grammaticos eadem ratione adductos id potissimum verbum interpretationis loco addidisse parum profecto probabile est. Nec versus mutilus non maiorem fidem habet quam alter versus plenus et absolutus. Cuius tamen versus clausula propter insolentiorem et recentiorem formam contractam *(audisse me)* suspicionem movet, quia, quantum video, Plautinae arti magis convenit *audivisse*, *novisse* alia id genus. Truc. 140 tuetur A *servavissem*, idemque A in Epid. 638 *novisti* (cf. Mil. 428, Men. 299, 302, 337, 379, 438, 499, 505), ut iure credo Men. 294: *non nosti nomen meum* in suspicionem vocetur, ac nescio an Culindrus coquos nomen suum professus per irrisionem adiciat: *nomen novistin meum?*

Ad Captivos igitur ut redeam, ex tribus traditis duos versus hunc fere in modum refingendos esse censeo:

Nunc demum in memoriam redeo ac quasi per nebulam cogito
Audivisse me Hegionem meum patrem vocarier.

Commendationem quandam ista coniectura — quis enim ultra probabilitatis speciem hoc in genere sibi quidquam adsumpserit? — eo sibi peperisse videtur, quod hac via sine ullius voculae auctario molestus extremi versus hiatus tollitur.

Capt. 819.

Qui locant cædundos agnos et dupla agninam danunt.

In hoc loco enarrando nec Brixium verum vidisse miror nec Dombartum. Nam si quid video, hanc difficultatem solvit Non. p. 272: *Cædere = immolare, Plautus in Aul.* (567): *cædundum conduxi ego illum, Virg. Aen.* V 96: *cædit binas de more bidentis.* Cur autem lanii agninam dant dupla pecunia? Scilicet agnos locabant sacrificandos idemque sacrae agninae partes re divina facta resumebant ac vendebant pauperibus: ita pretium duplum mereri videbantur.

Amph. 316.

ME. *Alia forma oportet esse quem tu pugnis iceris.*
SO. *Illic homo me interpolabit meumque os finget denuo.*

Cum hac Fleckeiseni lectione multum discrepat codicis B scriptura: *alia forma esse oportet quem tu pugno legeris.* Ac primum quidem Fleckeiseni transpositionem non satisfacere ex eis quae Sosia secum loquitur elucet. Qui quoniam non totius corporis sed oris interpolationem sibi pertimescendam esse dicit, hoc quidem non facile concludere potuit ex solis illis verbis: *alia forma oportet esse.* Atque hoc cum perspexisset A. Luchs, emendari posse putavit: *alia forma os esse oportet.* Sed in hac lectione *os* in thesi, *esse* in arsi positum nimis offendit animum. Accedit quod hac ratione probata potius *quod* quam *quem* in relativo enuntiato requiritur. Quare mihi hunc in modum scribendum videtur:

Alia forma esse ore oportet, quem tu pugno pegeris.

Nam hoc quidem extremum non minus latinum est quam illud, quod Plautus adamavit, *inpingere pugnum alicui*, cf. Klotzii Lex. s. v. impingere.

Amph. 319.

Mirum ni hic me quasi murænam exossare cogitat.

Corruptelam aliquam huius versus indicat hiatus fœdus, multis ille quidem doctis nostra potissimum ætate quasi in deliciis exoptatus. Sed bene accidit quod in Aul. quoque (v. 399): *murænam exdorsua quantum potest*, ubi *exdorsua* multis veterum testimoniis servatum est, in libros BDJ correctio vulgaris *exossata* se insinuavit. Idemque vitium eo facilius nostrum locum insedit, quia v. v. 318, 320 exossandi verbum et antecedit et insequitur. Quare nisi hiatus vastitatem in summa elegantia ponendam duxeris, emendari debere existimo:

Mirum ni hic me quasi murænam exdorsuare cogitat.

Buecheleri huius verbi enarratione in Mus. Rhen. XXXV 404, id quod Gœtz ad Aulularíam indicavit, meam coniecturam confirmari credo.

Amph. 386.

ME. *Fugit ratio te.* SO. *Utinam istuc pugni fecissent tui.*

In codicibus proditur *te ratio*, quem ordinem satis validis exemplis probatum Ussingius recte tueri videtur. Sed ut hiatum prætermittam, ne ipsa quidem sententia sana est. Nam si

Ussingius interpretatur: *utinam pugni tui fugissent, ut me verberare non posses,* hanc rationem equidem non perspicio. Nam si pugni Mercurium temere fugissent, quid eos tandem inpediebat, quo minus in os Sosiae suo inpetu ferrentur? At sese Sosia optavit ut pugni fugissent = nescio an ratio me fugerit, sed pugni tui me vellem fugissent. Sed hoc temere inlatum non in ipsis poetae verbis contineri bene, ut videtur, persensit Ussing. Sosia nihil nisi hoc orat: vellem pugni tui ***te*** fugissent. At sic non tutus esset ab alapis. Quod cum ita sit, ad hanc fere coniecturam, qua simul hiatus prohibeatur, confugiendum esse arbitror:

Fugit te ratio. Utinam ne istuc pugni fecissent tui.

Amph. 550.

Atque quanto, nox, fuisti longior hac proxuma,
Tanto brevior dies ut fiat faciam, dispar ut dies
Aeque noctem accedat. ibo et Mercurium subsequar.

Ita hos versus Fleckeisenus licentius ille quidem constituit, sed, quantum memini, nulli adhuc contigit, ut hoc negotium felicius absolveret.

Corrupta codicum scriptura hæc est: *faciam ut æque disparet Et dies e nocte accedat.*

Dies et nox coniunctim quasi unum spatium ita efficiunt, ut dimidiam partem nox, dimidiam dies conferant, quamdiu divinus in rerum natura obtinet ordo. Qui cum ab Jove inmutatus esset, veterem ordinem ita restituendum putavit, ut quanto nox longior fuisset tanto diem subsequentem inminueret. Ita dies et nox æqua portione dispares, cum quasi coniunctim discessissent, veterem ordinem et æquabilitatem novis diebus noctibusque concessisse videbantur. Hanc sententiae divinae rationem ista complectetur coniectura:

Tanto brevior dies ut fiat faciam, ut æque dispares
Dies et nox una cedant. Ibo et Mercurium subsequar.

Amph. 623.

Nón soleo ego somniculose erí mei imperia pérsequi.
Vigilans vidi, vigilans nunc te video, vigilans fabulor,
Vigilantem ille me iam dudum vigilans pugnis contudit.

Ista scriptura fluxit ex codd. mscr., præterquam quod *mei* et *te* ab recentibus editoribus adglutinata sunt, ut versuum numeri complerentur. Mihi *erile imperium* præferendum videtur, ut in Aul. 588 Strobilus prædicat: *hoc est servi facinus frugi, ne morae molestiaeque inperium erile habeat sibi,* cf. ibid. 599. Deinde medius versus non modo eo laborat, quod syllaba brevior est, sed *nunc* interpositum artificiosam dissicit structuram: ter enim participium *vigilans* primario ictu efferatur necesse est. Quare propono:

Nón ego soleo sómniculose erile inperium pérsequi:
Vígilans vidi, vígilans video, vígilans tecum fabulor.

Asin. 100.

Iubeas una opera me piscari in aere,
Reti autem iaculo venari in medio mari.

Demænetus concesserat suo servo Libano, ut si posset vel ipsum vel uxorem vel dispensatorem Sauream circumduceret ac defraudaret. Hoc autem nulla omnino ratione fieri posse ut demonstraret, Libanus duos illos versus, quos supra exscripsimus, elocutus est: ut nemo piscari possit in aere, sic aves capi non posse iaculo medio in mari. Ex hac enarratione illud iam satis planum est haud recte illorum versuum scripturam constitutam esse. Quis enim in mari aliter venabitur nisi reti iacto? Quare legimus in Truc. 35: *quasi in piscinam rete qui iaculum parat:* nimirum retia non modo in silvis ponuntur, sed etiam in mare in lacus in piscinas denique abiciuntur.

Accedit quod in codd. legitur: *venari autem rete iaculo*, unde hæc licet eliciantur:

Venari aves tereti iaculo in medio mari.

Aves si in *autem* latere opinamur, servari possit *reti iaculo*, sed veri similius est *autem* ex *a*[es]*vter* natum aut factum esse. Ceterum informari potest etiam hæc sententia:

Venari apros reti iaculo in medio mari.

Index.

Schulnachrichten.

I. Lectüre des Ofterkurfus von O. 1881 bis O. 1882, des Herbftkurfus vom H. 1881 bis O. 1882.

Lateinifch: In Ia. O.: *Tacitus,* Ann. Buch I u. II ganz, III u. IV mit Auswahl (c. 70 Kapitel), Agricola (privatim). *Horatius,* Epist. Buch I und Ars poëtica, Repetition von Oden.

In Ia. H.: *Plautus,* Trinummus, Aulularia, Captivi. *Cicero,* Ausgewählte Briefe bis 50 v. Chr. *Tacitus,* Germania. *Horatius,* Sat. I 1, 4, 6, 9, 10, II 1, 6, 8.

In Ib. O.: *Cicero,* in Verrem IV, pro rege Deiotaro und pro Ligario. *Horatius,* Oden I 1, 2, 3, 4, 6, 7, 9, 12, 18, 20, 21, 22, 24, 28, 29, 31, 34, 37, 38, II 1, 2, 3, 6, 7, 10, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 20, III 1, 2, 3, 4, 5, 6, 8, 9, 12, 13, 16, 21, 24, 25, 28, 30, IV 2, 3, 4, 5, 7, 9, 15.

In Ib. H.: *Cicero,* Verrinae, actio II, Rede III mit Auswahl, pro Sexto Roscio. *Horatius,* Oden lib. I—IV (Auswahl).

In IIa. O.: *Vergilius,* Aen. I u. II. *Livius,* Auswahl aus lib. II—X nach Weidners Quellenbuch 1. Teil u. lib. XXI.

In IIa. H.: *Livius,* Auswahl aus lib. 24, 25, 26, 27, 28, 29.

In IIb. O.: *Cicero,* Orat. Catilin. I. u. II. Aus Quellenbuch *Livius,* II 1—33, V 33—49, Aus *Zimmermanns* Anthologie: Disticha. *Vergilius,* Aen. I.

In IIb. H.: *Cicero,* Rede pro Archia u. Cato maior. Aus *Zimmermanns* Anthologie III. Curfus, Nr. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 8, 9.

In IIIa. O.: *Cæsar,* de bello Gallico lib. VI u. VII. Aus *Zimmermanns* Anthologie: Philemon u. Baucis, Orpheus u. Eurydice, Phaëthon, Niobe, die Schöpfung.

In IIIa. H.: *Cæsar,* de bello Gallico lib. VI, VII bis cap. 25.

In IIIb. O.: *Cæsar,* de bello Gallico lib. I—IV. *Ovid,* Tod des Hercules.

In IIIb. H.: *Cæsar,* de bello Gallico lib. I cap. 1—30, lib. II cap. 1—22.

In IV. O.: *Cornelius Nepos*: 1. Themistocles, 2. Aristides, 3. Pausanias, 4. Alcibiades, 5. Timoleon, 6. Pelopidas, 7. Hamilcar, 8. Hannibal. *Phædrus,* bis jetzt 6 Fabeln.

In IV. H.: *Cornelius Nepos:* 1. Miltiades, 2. Themistocles, 3. Aristides, 4. Cimon, 5. Lysander.

Griechifch: In Ia. O.: *Plato,* Apologie. *Thucydides,* lib. I 88—115, lib. II bis 60. *Sophocles*, Oed. Rex. *Euripides,* Iphig. Taur. *Homer,* Repetition einiger Gefänge.

In Ia. H.: *Demosthenes,* Staatsreden 1, 2, 3, 4, 5, 6, 8.